



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XVIII. Quòd homo non sit curiosus scrutator Sacramenti, sed humilis imitator Christi, subdendo sensum suum sacræ fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

## CAP. XVIII.

*Quòd homo non sit curiosus scrutator  
Sacramenti, sed humilis imitator  
Christi, subdendo sensum suum sa-  
cræ fidei.*

## VOX DILECTI.

**C**AVENDVM est tibi à curiosa,  
& inutili perscrutatione huius  
profundissimi Sacramenti, si non vis  
in dubitationis profundum submer-  
gi. Qui scrutator est maiestatis, op- Prov. 25  
primeretur à gloria. Plus valet Deus  
operari, quàm homo intelligere po-  
rest. Tolerabilis, pia, & humilis in-  
quisitio veritatis, parata semper doce-  
ri, & per sanas Patrum sententias stu-  
dens ambulare.

2 Beata simplicitas, quæ difficiles  
quæstionum relinquit vias, & plana ac  
firma pergit semita mandatorum Dei.  
Multi devotionem perdidderunt, dum  
altiora scrutari voluerunt. Fides à te  
exigitur, & sincera vita; non altitudo  
intellectus, neque profunditas myste-  
riorum Dei. Si non intelligis, nec ca-  
pis, quæ infra te sunt, quomodo  
compre-

compre-

comprehendes, quæ supra te sunt? Subdere Deo, & humilia sensum tuum fidei, & dabitur tibi scientiæ lumen, prout tibi fuerit vtile ac necessarium.

3 Quidam grauius tentantur de fide & Sacramento, sed non est hoc ipsis imputandum, sed potius inimico. Noli curare, noli disputare cum cogitationibus tuis, nec ad immixtas à diabolo dubitationes responde; sed crede verbis Dei, crede Sanctis eius & Prophetis, & fugiet à te nequam inimicus. Sæpè multum prodest, quòd talia sustinet Dei seruus. Nam infideles & peccatores non tentat, quos securè iam possidet; fideles autem deuotos, variis modis tentat & vexat.

4 Perge ergo cum simplici & indubitata fide, & cum supplici reuerentiâ ad Sacramentum accede. Et quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti securè committe. Non fallit te Deus; fallitur, qui sibi ipsi nimium credit. Graditur Deus cum simplicibus, reuelat se humilibus, dat intellectum paruulis, aperit sensum puris mentibus, & abscondit gratiam curiosis & superbis. Ratio humana debilis est,

*Psal. 118*  
*& 118.*  
*Mat. 11*

est, & falli potest; fides autem vera, falli non potest.

§ Omnis ratio, & naturalis inuestigatio, fidem sequi debet, non præcedere, nec infringere. Nam fides & amor ibi maximè præcellunt, & occultis modis in hoc sanctissimo & superexcellentiſſimo Sacramento operantur. Deus æternus & immensus, infinitæque potentiæ, facit magna & inscrutabilia in cælo & in terra, nec est inuestigatio mirabilium operum eius. Si talia essent opera Dei, vt facilè ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia, nec ineffabilia dicenda.

F I N I S.



IN-